

351
affigi, & apponi ad fores Ecclesiæ supradictæ, &c.
Datum in castro nostro Bestagni, die XXVI. sep-
tembris, anno Dom. MCCCLXVIII, Indict. VI.

*Ordinatio Dominici Lanzavegiæ de Alex. Aq.
Diœcesis facta ab Episcopo Aquis.*

234
MCCCLXVIII.
Noverint universi, & singuli præsentis nostras lite-
ras inspecturi, quod nos Guido, Dei gratia Aq.
Episcopus, & Comes, Dominico nato Cassoni Lan-
zavegiæ de Alexandria nostræ Aquis Diœcesis,
ætatis idoneæ, litterato, & de legitimo matrimonio
procreato, cupienti adscribi militiæ Clericali pri-
mam contulimus capitis tonsuram, & eum in Cle-
ricum titulavimus, & ordinavimus ad titulum sui
patrimonii secundum consuetudinem Sanctæ Romanæ
Ecclesiæ, & stilum antiquum consuetum. In quorum
testimonium præsentis fieri iussimus nostro sigillo
munitas. Actum, & datum in castro Bestagni die
XXVI. sept. Anno Domini MCCCLXVIII. Ind. VI.
præsentibus discretis viris Dominico de Curlandis,
Canonico Aquis, Guillelmo de Oddonis de Incisa
Castellano Bestagni, & Antonello de Botino Ca-
stellano Tertii, testibus vocatis, & rogatis.

*Facultas Fr. Francisco Milano de Alexand. Aq.
Diœc. absolvendi a casibus reserv. in Alex.
Uguli, Solerio, Quargnento, Castellatio.*

235
MCCCLXVIII.
Guido, Dei gratia Aquis Episcopus, & Co-
mes, dilecto nobis in Christo fratri Francisco
Milano de Alexandria nostræ Aquis Diœcesis,
Ordinis Prædicatorum, salutem in eo, qui est om-
nium vera salus. Tenore præsentium omnibus inno-
tescat, quod tuis supplicationibus inclinati, & de
tua prudentia, & circumspectione maxime confi-
dentes, tibi committimus harum serie litterarum,
quod de omnibus casibus nobis a jure reservatis,
possis in dicta Ecclesia Alexandria, & Ugulis, So-
lerio, Quargnento, & Castellatio absolvere perso-
nas tecum confitentes, utriusque sexus, & eis, &
ipsorum cuilibet poenitentiam injungere salutarem,
nec non & de male retentis, & dimissis ad pias
causas, & dimittendis nomine nostro componere,
prout statuunt Canonice Sanctiones. Volumus au-
tem, quod ii, qui filios opprimunt, vel propria
manu occiderunt, ad nos, ut ad tuum in hac parte
Superiorem remittas. Super quibus omnibus tuam
conscientiam oneramus usque ad Festum Resurre-
ctionis Dominicæ proximum, & non ultra præsen-
tibus duraturis. In quorum omnium testimonium has
nostras patentes litteras mandavimus registrari, &
figillo nostro muniri. Datum in Castro nostro Be-
stagni, die XXVIII. sept. anno Dom. MCCCLVIII,
Indictione VI.

*Collatio Eccl. Parocch. S. M. de Mollariis Ant.
Zabrera, cum dispensatione circa ætatem.*

236
MCCCLXVIII.
In nomine Domini amen. Anno Incarnationis ejus-
dem MCCCLXVIII, Indict. VI., die X. octo-

M O N U M E N T A

352
bris in castro Bestagni, præsentibus nobili viro Joan-
ne ex Marchionibus Incisæ, Isnardo Zabreræ Po-
testate Molariarum, & Gulielmino Zabreræ de Mur-
fasco testibus vocatis, & rogatis. Guido Aquis
Episcopus, & Comes dilecto nobis in Christo
Antonio nato quondam Facini Zabreræ de Murfa-
sco, Clerico nostræ Aquis Diœcesis, salutem in
eo, qui est omnium vera salus. Fide dignorum re-
latione nos noveris percepisse, quod licet tu non ex-
istas ad præsens in ætate legitima, secundum quod
statuunt sacri Canones, ita quod valeas curatum be-
neficium sine dispensatione nostra licite obtinere;
attamen propter amicorum tuorum, & attinentium
potentiam posses, si aliquod beneficium tibi confe-
ratur, ipsum utiliter gubernare, & in suis juribus
restaurare. Hinc est, quod nos intuitu præmissorum
volentes tibi facere gratiam specialem de vacante
plebe Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Molariis nostræ
Aquis Diœcesis Archipresbytero per spontaneam
resignationem in manibus nostris factam justis titu-
lis, & de causis per Fratrem Antonium de Ca-
stello, Monacum monasterii de Tilieto Ordinis Ci-
sterciensium nostræ Diœcesis ultimum Rectorem præ-
dicti Archipresbyteratus, five Plebis, & Canonici
nostræ Ecclesiæ Aquis in sacris Ordinibus con-
stituti tamquam Capitulum, & pro Capitulo Ec-
clesiæ Aquis prælibatæ asserentes electionem Ar-
chipresbyteri in dicta Plebe sic vacante ad ipsos per-
tinere, petita tamen a nobis, secundum quod sta-
tuunt constitutiones Synodales, quæ faciunt de ta-
libus mentionem, licentia eligendi Archipresbye-
rum in Plebe prædicta, ipsaque a nobis obtenta,
protestatione tamen præmissa, quod si ad ipsos Ca-
nonicos nostræ Aquis Ecclesiæ supradictæ non
spectabat, nec spectare posset de jure eligere Ar-
chipresbyterum, quando prædicta Ecclesia Plebis de
Molariis vacabat, quod non præjudicaret juri nostræ
ordinariæ potestatis; Canonicique prælibati consti-
tuerint procuratorem ad eligendum Archipresbyterum
futurum pro prædicta Plebe Rev. Patrem Dominum
Jacobum Millopotensem Episcopum in insula Cre-
tensi in civitate Aquis residentem; idemque Pro-
curator procuratorio quo supra te elegit in Archi-
presbyterum Plebis de Molariis supradictæ, prout
de dicta procura patere aperitur publico instrumento
recepto manu Francisci Bordellæ de Aquis Notarii,
& per præfatum procuratorem te sic electo fuerimus
requisiti, ut ipsam electionem confirmare dignaremur
& quod te investire deberemur de omnibus juribus
spiritualibus, & temporalibus ad prædictum Archi-
presbyteratum spectantibus quoquo modo ac te in-
duci faceremus in corporalem possessionem omnium
prædictorum; misimus quoque litteras nostras per
modum edicti affigi ad valvas dictæ Plebis, prote-
statione tamen prædicta præmissa in omnibus clau-
sulis supradictis, & infrascriptis, quod non præju-
dicari posset juri nostræ ordinariæ potestatis, ut si
aliqua persona contradicere vellet, seu aliquam op-
positionem contra prædictos Canonicos eligentes,
seu contra prædictam electionem, vel contra per-
sonam tuam coram nobis certo termino jamdiu ela-
pso comparere deberet, infra quem terminum coram
nobis nullus comparuit contradictor. Ita quamvis
debe-